

mitorio noctis tempore non ardebat, quare decrevimus, ut filii lucis nocturnas tenebras hactenus non sectentur et in argumentum huius rei domum, quam Sifridus laicus ecclesiae nostrae nostris temporibus assignavit, dedimus in manum prioris, ut ex hoc lumen dormitorii tota nocte arsurum provideat ipsamque domum instaurare non negligat; solvit enim marcam annuatim vel quantum solvere potest secundum mutationem temporis, et est proxima domino Georgio in sinistro latere. Ne autem hoc factum nostrum posterorum memoriae subtrahatur, sigilli nostri appensione statuimus roborandum, volentes opus bonae voluntatis nostrae potius augeri quam minui. His taliter a nobis ordinatis ecce sollempnis concordia, totius conventus accessit devotissime postulantis, quatenus sigillo nostro iam appposito sigillum quoque capituli iungeretur, ne tantae misericordiae beneficium possit ab aliquo leviter infirmari. Quod cum nobis omnimodis placuisset, subiecimus etiam nomina dominorum nostrorum in testimonium, qui praesentes huic negotio extiterant. Theodericus prior, Heinricus de Ylacustus, Petrus de Milbuz, Heinricus Albus, Johannes Hugonis, Theodericus de cimiterio sacerdotes, Hertwicus, Heinricus, Hedenricus, Godescalcus dyaconi. Acta sunt haec in capitulo nostro anno gratiae M°.CC°.LIIII°. indictione XII^a. X°. Kal. Martii, praepositurae nostrae anno XIII^o.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Siegel des Probstes an rothseidenen und dem des Capitels an gelbseidenen Fäden.

No. 18. 1254. 20. Juni.

Markgraf Heinrich eignet drei Hufen zu Meusdorf.

In nomine sanctae et individuae trinitatis amen. Heinricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thuringiae lantgravius, Saxoniae comes palatinus omnibus imperpetuum. Quoniam labilis est humana memoria, necesse est in scriptis redigi, quod nullatenus vel ex difficili propter rerum mutabilitatem posset memoriter conservari. Notum igitur facimus universis tam praesentibus quam futuris, quod nos pia consideratione moti et precibus Conradi praepositi in Lipze similiter inclinati tres mansos in Mitisdorf^a) sitos, quos filii Alberonis pellificis a nobis in feodo quandoque tenuerunt et postea ad manus nostras libere resignarunt, ecclesiae sancti Thomae in Lipze ad petitionem eorundem filiorum in proprietatem contulimus pleno iure, volentes ut eadem ecclesia eosdem quiete ac libere possideat in futurum, nolentes ipsam a nobis vel a filiis nostris vel ab aliquibus in posterum aliquo modo aggravari. Ut itaque praesens factum stabilitatem recipiat in futurum, praesentem paginam super eo conscribi disposuimus et sigilli nostri munimine roborari. Acta sunt haec anno ab incarnatione domini M°.CC°.LIIII° XII. Kal. Julii duodecimae indictionis. Testes huius rei sunt dominus Rihardus de Damis, Albertus dapifer de Burne, Heinricus camerarius de Gnannenstein, Rudolfus de Luppe, Theodericus sculthetus et Albertus frater suus, Conradus Cesar, Thomas Jageboe, Conradus Papa, magister Cristoforus curiae nostrae notarius et alii quam plures fide digni.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Reitersiegel an Fäden von rother Seide.

a) Vgl. zu No. 14.